

WK. 212.
OK. 212 9.

Yc
6774

D. ADAMUS RECHENBERG,

Theol. Prof, Prim. & Collegii Theologici

h. t.

DECANUS,

HOC TERTIO FESTO ACAD.
LIPS. SECULARI,

B. C. D.

SOLENNEM S. THEOL.
DOCTORUM

D. V. DECEMBRIS MDCC IX.

I N

TEMPLO ACADEMICO
FUTURAM CREATIONEM,

BENEVOLIS LECTORIBUS
INTIMAT.



W. B. ...
College ...

DECANUS
HOC TERTIO M. D. ACAD.
LIT. SECULARI.

SOLENNIUS THEOR.
DOCTORUM
D. V. DE ...

TEMPLO ACADEMICO
NATURAM CREATIONEM
EVENOLIS LACORIBUS
LIT. SECULARI.





Cum omnibus nostræ Academiae
& Urbis civibus christianis, hoc solenni
festo seculari, in honorē DEi benignissi-
mi publice indicto conveniat, ut immen-
sa gratiæ divinæ munera in majores no-
stros, nosque ipsos per decursum elapsi seculi collata
sunt, devotissimamente atque ore celebrent, proque
iis DEo immortalī gratias agant; tum præcipue Do-
ctorum ecclesiæ officium atque pietas poscit, ut CURAM
DEI circa Religionis, Scholarum & Ecclesiæ nostræ in-
ter tot tempestatum fluctus servatarum enarremus, præ-
dicemus, atque tantorum beneficiorum memoriam
hodie recolamus, extollamus, fidemque & spes nostras
corroboremus: præsertim hoc exulcerato ecclesiæ & rei-
publicæ statu, quo tot procellis utriusque navem quassam
velut jactari videmus, Spem interim certam alamus,
fore, quod, ut DEus misericordissimus elapsō nunc se-
culo utramque navem inter multos tempestatum fluctus
servavit atque tandem Saxonix nostræ halcyonia conces-
sit; Sic quoque, si eum nobis veræ & seriæ pœnitent-
iæ studio propitium reddere connitamur, nos haut sit
deserturus. Quia curæ ipsi ecclesiæ est, curæ ipsi sunt (cho-
læ, ecclesiæ & rei publicæ seminaria atq; virtutum officina.

);(2

Hu-

Hujus singularis providentiæ divinæ documenta, in historia nunc exacti ævi, plurima certe deprehendimus, ob quæ, tria in nostra Saxoniam Jubilæa celebrata fuisse, annalibus proditum est. Quæ heic paucis attingere, ab instituto nostro haut alienum puto, fuerit. Historia nempe providentiæ atque gratiæ divinæ testis est, quam majores nostri, & nosmet ipsi largissime inter ipsas hostium insidias ac bella experti sumus. Nemo sane, nisi in ecclesiæ libris annalium hospes sit, ignorat, Religionem nostram evangelicam sub initium superioris seculi magna incrementa, per vicinas nostræ Saxoniam superioris ditiones cepisse. Nam Maximilianus II. Imperator omni laude major, in suis ditionibus & regnis August. Confessioni addictis amplissime, caverat, & post excessum ejus, *Rudolphus II.* Imp. per *litteras*, quas vocarunt *Majestatis*, per Bohemiam & vicinas ditiones quoque Evangelicæ Religionis libertatem firmaverat: quam *Matthias* itidem Imperator, cum Bohemiam regnum susciperet, denuo confirmavit. Quæ res magnam Pontifici R. eidemque addictis Ordinibus sollicitudinem injecit; ne invalescens Religio evangelica, in Concilio Tridentino, antecedente seculo ab ipsis damnata, suo regno Sacrorum, contra Christi verbum constituto magis magisque derogaret, idque immuneret. Hanc ob causam Romano Catholicum Wurzburgi congressu instituto, foedus (quod *Ligam Catholicam* vocarunt) tuendis & ampliandis regni Palatis finibus, si qua vis, ut ferebatur, aut injuria a Principibus *Unioni Evangelicorum* adscriptis inferretur, instinctu Papæ inierunt. Cujus *Sacræ* scilicet *Ligæ*, Dux Maximilianus Bavarus, vetus Palatini Electoris, Friderici

Friderici V. qui *Unionis Evangelicæ* dux, audiebat; æmulus & Pontificiæ ecclesiæ defensor acerrimus, unde infausta UNIONIS, & LIGÆ nomina, quæ *Ligistarum* & *Unionistarum* denominationes pepererunt. Quos inter magis magisque dissensiones gliscere cœperunt, donec accedentibus Bohemorum motibus, in flammam veræ Religionis & Germaniæ feralem erumperent.

Interea tamen temporis Serenissimus Elector Saxonie
D. IOHAN. GEORGIUS I.

Evangelicæ veritatis defensor, qui nulli istorum fœderatorum parti addictus, puram Religionem evangelicam, ministerio D. Lutheri nitenti restitutam, juxta Sanctionem Pacis Religiosæ & manifestas Imperii leges & constitutiones tueri, ejusque inter factiones subortas curam prudenter gerere haut neglexit. Imo, ut DEO suus redderetur honos, anno M. DC. XVII. ex quo antea centum annos salutaris reformationis ecclesiæ initium factum erat, **JUBILEUM LUTHERANUM** indixit.

Cujus indictionis formulam a se latine redditam, non incelebris Gallus, *Gabr. Barthol. Gramondus*, *Hist. Gall. libr. 2.* historiæ suæ Gall. inseruit; Sed contra boni cordatique historici officium, more ineptorum declamatorum, false simul perstrinxit, atque conquistis ineptis scommatibus sugillavit; ac si gloriosissimus Elector Saxonie, Pontificem R. hac in parte æmulari, aut illi simul obstrepere voluisset; Cum tamen ipse longe ejusdem Jubilei diversa causas, ex indictionis diplomate, recensere non omiserit. Quo sane nullum æmulationis Pontificiæ vestigium adparet. *Conf. Antonii Weckii Chron. Dresd. fol. 320. 399.*

Adponam ejusdem verba, ut ab infenso narratore, in historia allegata latine reddita extant, animus

mus illius erga Protestantes virulentus patefcatur. Ita vero ista habent:

JOHANNES GEORGIUS, Dux
Saxonum &c. Neminem Vestrum ignorare crediderim, sub finem octobris, qui proxime instat, quem numerabimus ac incarnatione Christi M. DC. XVII. centum annos esse, ex quo Lutherum apud Wittembergenses, sedis Romane indulgentias acriter infectatum, fidem faciunt monimenta nostra. Facta tunc prima Evangelicæ reformationis semina, magnis deo propagata incrementis in ætatem nostram: Crevisse exin Evangelicam dignitatem, frustra obluçantibus Averni machinationibus, qua decessere victori Evangelio. Quare agendis Deo immortalis gratias, haud procul re christiana visum, solennia festi vulgari per supplicationes toto triduo habendas. Principium erit ab ultima Octobris, sancta in æternum die, qua primum sedi Romane restitimus; Continuabitur sacrum Novembris prima & secunda: fiet indictio quadriduo ante festum per vigiliam hymnis, & confessione celebrabitur, quo a noxiis repurgati fideles in posteram diem cœnæ Dominicæ fiant

fiant innocenter participes. Dirigendas interim ad cælum preces, conservanda fidei, provehenda ipsius auctoritati, propagandis Lutheri finibus, vindicandis ab omni impuritate sacramentis. Per id tridui convocandum populum bis in singulas dies, ante & post meridiem, Evangelio explicando, modulationi Psalmorum, & demum participandis Christi per cœnam meritis: exin aperiendas scholas frequentius tota hebdomade, Conventu proponenda a Professoribus omnium artium themata, recitandas publice Orationes in Lutheri laudem, ut flexis in deteriora Ecclesiæ præceptis, pravoque usu abrogatis veteribus restaurata fuerint ipsius ope, antiqua fidei Catholicæ monumenta, ut missus reparandis, quæ vetustate collapsa erant, Dei Angelus, &c.

Inde pergit Gramondus, liberas civitates imperiales Lutheranae Ecclesiæ addictas, WORMATIUM, FRANCOFURTUM AD MÖENUM, NORIMBERGAM, ARGENTORATUM ob idem isthoc tempore inititutum Jubileum exagitare, nummosque eorum ob inscriptiones pias sacre & aptissimas in dictæ Reformationis memoriam cusos, inficeta censura notare atque insulse perstringere. Tandem & Calvinianos, propter æmulationem hujus studii Lutheranorum, vellicans, Jus indicendi

di *Jubilea* soli Pontifici Romano, absque ulla idonea ratione vendicare vult,

Sed mittimus hæc & aliorum Pontificiorum scommata, quibus apud rerum sacrarum imperitos, *Sacrum hoc eucharisticum festum*, D E O, sine papali superstitione consecratum, ex odio veritatis evangelicæ, more suo olim & nunc usitato traducere atque criminari sultinent. Per se enim satis nota istorum cavillandi sacra nostra, est libido. Id tantum non sine tristici calamitatum recordatione addimus, Jubila isthæc sacra, in vicina Bohemia, infausto sidere ea rerum tempestate exortos motus haut parum turbasse. Nam devictis & proscriptis, qui cum Friderico Palatino Electore, adversus Ligistas, fœdus inierant, Ecclesia Protestantium magnum periculum accersitum fuisse, per est notum. Pacata quidem videbatur Bohemia; ast odii erga Protestantes universos causa, nondum sublata, sed aucta fuerat.

Quia FERDINANDUS II. Cæsar, victor factus, Lutheranos doctores & concionatores Bohemia & Austria expulit, spreta Electoris Saxonæ intercessione, cujus auxilio se non amplius indigere opinabatur. Varia inde prudentum & cordatorum politicorum judicia publicata extant; cum serius animadverti cœpisset, sacerdotes in publicum si adhibentur, semper consultores fuisse aut infelices aut pessimos,

Enimvero, Elector, Saxo, quem *Principem patriæ*

patriæ amantissimum, justitiæque studiosissimum, ve-
rum Israelitam, in quo dolus non est **Frideri-**
cus Fornerus, Episcopus Herborensis, ac **Palme Tri-**
suffraganeus Bambergensis dilaudat, fide & con-
stantia in DEUM ejusque verbum, nihil remisit
aut minas reformidavit. Fraudes quippe & dolos
Sacerdotum, quibus summos Principes sedi Ro-
manæ addictos, irretitos tenebant, animadvertens, de
veræ Religionis & patriæ libertate tuenda, DEO &
justitiæ causæ nixus, mascula consilia in se desiderari
haut passus est. Præsertim cum sub prætextu coer-
cendi *Unionistas*, hoc est, qui Friderici Palatini parti-
bus adhæsisse arguebantur, contra datam fidem a *Ligistis*
premerentur, imo passim opprimerentur. Nam quo
plures contra tendebant, eo latius *Ligistæ* per Germani-
am arma victricia proferebant; ut omnes Protestantes
& Religionis & regionibus suis metuere causam habe-
rent. Inde vasta istorum consilia etiam vicinis Princi-
pibus & Regibus magnopere suspecta & periculosa vi-
debantur. Clerici enim Pontificii successu armorum
suorum principum & tutorum R. Ecclesiæ elati, viru-
lenti scriptis hinc inde sparsis, Protestantes Ordines in
universum Pacis Religiosæ anno M DLV. publica Im-
perii autoritate confirmatæ, non amplius capaces aut
dignos esse posse, clamitabant. Quas Elector Sax. Pro-
testantium in imperio Germanico caput, famosas Je-
suitarum chartas publice & refutare, istosque turbo-
nes pacis, sophisticæ malitiæ solide convincere su-
stinuit. Quæ publica justæ causæ Apologe-
tica in vulgus nota sunt. Ast illi potentia & præ-
valida

in Prefat.
Palme Tri-
umphalis.

v. Hauptver-
theidigung
des H. Röm.
Reichs Er-
zherzogs u.
Stände/hoch-
werthesten
Aug. Apffels
und theurer
Kleinod/ etc.
item D. Ben.

):():(

Carpz. *J*Ci valida fortuna suorum Ligistarum & Papæ nixi, ista
vind. jur. pol. juxta habebant, in armis fiduciam collocantes suam.
Theol. Lub. Ideo duriora subinde consilia Magnatibus ingerebant;
contra JEtos superiorum quippe armorum prosperis successibus &
Dilling. continua velut victoriarum ferie ferociore facti. Agi
v. Sciopii clas. heic non susurrabant, sed clamabant, DEI gloriam,
sic. Belli sacri. Ecclesiæ Romanæ & infinitarum animarum salutem,
In Chronicon

gestorum

Europa sin-

gularium

a. 1629.

His & similibus svafionibus & blandiciis Imperatoris Ferdinandi animum occuparunt, ut *Edictum* anno XXIX. seculi præteriti promulgaret, quo sub jugum iterum Pontificis, Protestantes mitti debere, haut dissimilabatur amplius. Scopum enim hunc, *Paulus Piasecius*, Episcopus Præmisilaviensis candide & sincere annotavit: *struxerunt*, scribit, *mox dissidiorum in Germania materiam Edicta Imperatoris severiora d. 6. Mart. 1629. promulgata, pro restitutione bonorum ecclesiasticorum in religione Catholica instauranda, & reliqua.* Inde etiam simul spargebatur, non esse Protestantibus querendi causam, si Pontificiorum Statuum ditionibus expellantur; Cum Lutherani ab August. Confessione defecissent; Calviniani vero eam nunquam amplexi essent; pacem autem Religioni anno M. D. LII. concessam & LV. confirmatam ad eos solos pertinere, qui August. Confessionem stricte tenerent. Ac, ut insultatio eo foret manifestior ab urbe Augustana, abs qua Protestantium Confessione nomen inditum, siebat initium, cujus cives publico exercitio Lutheranae religionis arcebantur. Quo insolentius autem clericj Pontificii tanta victoria exultabant, eo altius Protestanti

stantium animos penetravit nominati Edicti iniquitas, Serenissimus autem Elector Sax. de severitate & iniquitate istius Edicti apud Casarem justissimas querelas movit, ac interim de constantia in asserenda Religionis libertate nihil remisit. Nam d. 25. Jun. ann. MDCXXX. memoriam ante centum annos in publicis Comitibus Augustanis Carolo V. Imperatore exhibitæ August. Confessionis, in Saxonia & ceteris ditionibus suis, novum **JUBILEUM EVANGELICUM** promulgavit, ut DEO benignissimo pro puro verbo suo ecclesiæ redonato, quippe quo Aug. Confessio solonititur, publicæ persolverentur grates. Id quod Electoralis archivarius, *Antonius Weckius*, merito ut **ALTERUM JUBILEUM** annotavit atque dilaudavit. Nummi in hujus rei memoriam, qui adhuc visuntur, cusi, in altera facie, **JOHANNIS** Electoris, *Constantis* cognominati, in altera vero **D. JOHANNIS GEORGII I.** Icones exhibent, additis lemmatibus: **NOMEN DOMINI, TURRIS FORTISSIMA; SECULUM CONFSSIONIS LUTHER. AUGUSTÆ EXHIBITÆ MDXXX, d. XXV. JUNII.**

Adversus hanc optimi & constantis Confessoris in DEUM pietatem, adversarii novam indefensam insectandi Evangelicos quidem arripuerunt, ac cum **Thoma Henrici**, Eriburgensis tum Academiae Rectore prælagiebant, mox fore, ut *Jubileum Evangelicum Aug. Confessionis*, pro lessò accinerent. At DEUS, qui timentium

):():(2

mentium & in se sperantium sol & clypeus est, contra vertit, vanorumque aruspicum præfagia & vota dissipavit, prostravit & irrita fecit: quando anno infequente XXXI, victoria in omne ævum memorabili Protestantibus concessa, spes horum, quæ propemodum collapsæ videbantur, erexit, atque symbolum eorum confirmavit: **NOMEN DOMINI ESSE TURRIM FORTISSIMAM.** Quod immortale DEI beneficium merito panegyricis orationibus & laudibus divinæ providentiæ passim in & extra Germaniam a Protestantibus celebratum fuit, dignumque est, ne unquam animis nostrum excidat. Etenim ut veterum Ebræorum proverbium habet, *quando multiplicantur lateres, venit Moses*: Ita DEUS Protestantibus tum excitavit Mo-

Ceterum quæ fatâ prosperâ & adversa nostram ecclesiam, usque ad pacem Osnabrugensem constitutam exercere, qua, plena ejus libertas publica Sanctione confirmata fuit, heic recensere necessum non est. Id tamen non prætereundum videtur, quod pace isthac conclusa, ad alendam gratiæ divinæ, hac etiam in parte nobis exhibitæ, memoriam, ut supra laudatus Weckius loquitur, gloriosissimus Elector Sax. **JOH. GEORGIUS I. TERTIVM JVBILEVM** celebravit, omnesque cives suos fideles, DEO immortali atque misericordissimo, pro hoc immortali beneficio devotissimas gratias agere jussit. Ita DEUS Religionis & nostræ patriæ, intra ambigua fata, CURAM clementissime egit, ut post nubila exorirentur Jubila.

Nunc

Nunc vero, quod DEUS felix, faustum, fortunatum
atque Ecclesie & Academiae nostrae salutare esse jubear;
indulgentia SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

FRIDERICI AUGUSTI,

Regis Poloniarum, & Electoris Sax. Domini

nostrilongeclementissimi, quod intra seculum, *Pf. CXVIII,*
24. seqq.
CXLV.
quartum, sed particulare & Academiae nostrae propri-
um a prima ejus fundatione, *tertium* est, ac adeo A-
CADEMICUM appellatur, in timore & nomine DO-
MINI celebrare paramus. In quo, ut pietas christiana-
poscit, DEVM ter- optimum maximum cum Hieropsal-
te lingvis animisque celebrare nobis omnibus ac singulis
maxime convenit; quod Ecclesiam nostram adversus in-
fidias tot hostium turam, Academiam vero sartam te-
tamque sub virente ruta Saxonica hucusque clemen-
tissime praestiterit. Quantum hoc DEI munus & be-
neficium sit, illi intelligunt, qui veri Christiani sunt,
mundumque non caeco fato rapi aut volvi, credunt.

Agnoscunt id etiam nobiscum Viri plurimum re-
verendi atque laudabili eruditione ac meritis in eccle-
siam Erfurtensem evangelicam insignes,

Dn. Johannes Kieslingius, Gryn-
hayna Mifn. S. Theol. Licentiatus, in Elector. Hi-
erana P. P. ad æd. Mercator. quæ vocatur Erfurti,
Pastor, Confessus tum Ecclesiastici tum Philo-
soph, Assessor, & Gymnasii Senator.

Ephorus,

):():(3

6

Dn. Ioh. Laurentius Pfeifferus,
Thuringus, Thur. SS. Theolog. Licentiatuſ, apud
Prædicatores, ut vocant, Erfurti Eccleſiaſtes,
& Rev. Miniſterii Evangelici Aſ-
ſeſſor.

Hi, inquam, non ita pridem apud nos rigorosis e-
xaminibus cum laude ſuperatis, & publicis etiam diſpu-
tationibus a ſe elaboratis, pro gradu ſupremo in Theolo-
gia obtinendo ſolemniter habitis, noſtro Collegio &
omnibus auditoribus eruditissimis ſuam eruditionem,
inprimis theologicam, abunde adprobarunt, in hoc ſe-
culari feſto, titulo DOCTORUM, ceu rogarunt, ornari
merentur. Quæ de cauſa Collegæ noſtro honoratiſſi-
mo, Viro ſumme reverendo, *Domino D. Godofredo Oleario,*
Theolog. Prof. Ordinario, qui iſtis autoritate Regia &
Ducali, LICENTIAM aſſumendi gradus & titulos
DOCTORUM Theologiæ d. XIX. Sept. hujus decur-
rentis anni tribuit, hodie commiſimus; ut laudatis jam
Licentiatuſ, conſueto ritu academico, in hac illuſtris-
ſima panegyri, ſui voti compotes reddat. Nos autem
preces ad DEum ſuſas conjungemus devotas, ut grati-
am ſuam etiam huic actui in honorem ſui ſanctiſſimi
Nominis adſpirare dignetur. Certe omnium noſtrûm
votorum ſumma eſt, & eſſe debet: ut DEUS benigniſſi-
mus Eccleſiæ ſalutem, rei publicæ tranquillitatem,
Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi
ac Electori noſtro, Domino lon-
ge clementiſſimo, vitam prolixam, im-
peri-

v. Tertull.
Apolog. c. 30.

perium 'securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, consilia salutaria, felices eorum successus, & quæcunque boni Principis vota sunt, clementissime concedat, atque Serenissimam Domum Regio-Electoralem cum Serenissimo Principe, Elector. Herede, FRIDERICO AUGUSTO, Saxoniae Fulcro & Delicio, Domino nostro clementissimo, servet incolumem, Serenissimamque Domum Saxoniam Ducalem universam, æternum florere jubeat! ipsi vero TRIUNI DEO soli sit laus, honor & gloria in Secula nunquam terminanda, Amen! P.P.
Lipsiæ ipso festo Seculari, M DCC IX.

LITERIS BRANDENBURGERIANIS.



QX 4.6774

X 2972682


Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



M

VD48





B.I.G.

Farbkarte #13

QK. 212.
QK. 212. 9.

Yc
6774

D. ADAMUS RECHENBERG,
Theol. Prof. Prim. & Collegii Theologici

h. t.

DECANUS,
HOC TERTIO FESTO ACAD.
LIPS. SECULARI,

B. C. D.

SOLENNEM S. THEOL.
DOCTORUM

D. V. DECEMBRIS MDCC IX.

I N

TEMPLO ACADEMICO
FUTURAM CREATIONEM,

BENEVOLIS LECTORIBUS
INTIMAT.

